


Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 3, 1849, enthaltend fol. 74a-231b von Bd. 2 des Autographs (19 555-2) sowie einen Index

zu Bild Nr.



51

lem baptismi, sed solum corporalem salutem et munditiam quaerunt, nec curant, quod Christiani infantes eorum baptizent, nec circumcisionem accipiunt propter effectum spiritualem, sed propter munditiam carnalem, ut careant illa foeditate, quae solet sub praepotio crescere, in cuius signum non circumciduntur secundum legem Moysis VIII die, sed in XIV anno, ut Ismael, sicut habetur Genes. XIV.

Nonnunquam mittunt pueros Christianis sacerdotibus cum muneribus, ut eos baptizent, praecipue hic in isto lavacro, et in Busirim ad fontem beatae Mariae Virginis, in quo crebrius baptismata suscipiunt.

Deinde de ecclesia exivimus et ibi multas ecclesiolas vidimus clausas, in quas non poteramus venire, in tres tamen notabiles et pulchras venimus ecclesias, in quibus tumbae marmoreae et elevatae erant, quas dicebant esse sepulchra Sanctorum, sed nomina eorum non poteramus intelligere; videbatur enim nobis, quod dicerent de sancta Anna, de sancta Barbara, de sancta Catharina, et de sancto Georio. Non enim sciunt Orientales dictiones latinas bene exprimere, sed mirabili stomachatione loquuntur. Credo autem pro certo, quod nec ipsi sciant, quorum Sanctorum reliquiae sint in istis tumbis reconditae, quia omnes ecclesiae illae fuerunt a Latinis constructae et possessae, sed post expulsionem Latinorum a terra sancta fuerunt etiam ab Aegypto eliminati, et Orientales supervenientes ad loca ignoraverunt patronos locorum, et ita res in oblivionem venit.

In unam tamen ecclesiam venimus, quae dicitur ecclesia sancti Georii, cuius episcopus supervenientes peregrinos solet in militiam sancti Georii asscribere, qui illo die non erat in civitate: quo non obstante milites nostri in ecclesia se ipsos sancto Georio devoverunt et militiam ejus acceperunt, eo modo, quo in dominico sepulchro in Jerusalem. Nam nobiliores ignobiliores gladio percussiones milites eos sancti Georii creaverunt in conspectu Mamelucorum.

In partibus nostris milites S. Georii valde sunt reputati, et in bellicis artibus dicuntur caeteris magis (b) fortunati et audaces.

4*

062

060

066

056

071

051

111

011

161

561

Ende

Anfang